









I N D E X
LECTI O N U M

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCXLI

A DIE XIX. M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM



L I T E R I S A D L E R I A N I S.

Qui vulgo queruntur, et ineptas res et saepe etiam turpículas a Comicis tractari, ii naturam finemque comoediae cum specie ejus externa temere permiscunt. Nisi enim alia prava et absurda, parum alia honesta sermoni adspergerentur, risus omnino commoveri non posset. Debet vero comoedia ob id ipsum, quod comoedia est, sapientiam occultare suam, verbum minus decorum non pertimescere, ex omnibus denique rebus aliquam certe hilaritatem aucupari. At comoedia non tam de eo vult quaesitum, quid dicere cogatur, quam potius quid intellexerit et quonam ire contendat. Ipsa igitur sapientiae honestatique studet, habitat plane in rebus bonis, gravibus, magnis, nuda omnium amores excitat, propter vestem ab imperitis contemnitur. Quo melius autem ultimus comoediae finis perspiciatur, de habitu ejus et quasi forma primum videamus. Et haec quidem ejusmodi est, ut omnia exhilarare debeat, quod assequi non licet, nisi iis, quae sola omnium maxime delectant, ridiculis: delectant autem quum multis modis, tum commovenda expectatione et subito fallenda, quae res habet illecebras; natura enim nos noster delectat error. Ita necessario efficitur, ut comoediae ea pars, quae dici videatur, propter imitandi depravandique cupiditatem magna extenuet, vulgaria sequatur, ludat, joetur, vitaeque quotidianae humilitatem exprimat. Nihil igitur admirans, sed suo omnia metiens modulo, sublimia quasi e coelo avocat, in vitam hominum consuetudinemque inducit, eaque detracto splendore, nonnunquam etiam dignitate ad risum accommodat. Inesse autem ridiculis, quae hilaritate delectant, necessario aliquid humile, et ex definitione verbi, et ex rei natura, et hominum exemplis clarissime ostendi potest. Ex definitione; habet enim ridiculum, quam perversam quodammodo sapientiam, non veram appellare licet, nonnihil pravitatis, saepe etiam abjecti. Ex rei natura dupliciter: primum si comoedia sublimes tantum res exprimeret, admirationem, neque vero risum excitare posset. Etenim nemo sanus numen ridet divinum, ne parentes quidem aut praeceptores, aut ullum denique alium, de quo nihil humile, sed omnia potius summa cogitat. Quamobrem excelsa admiramur, dira horremus, periculosa timemus, luctuosa deflemus, ridemus autem vulgaria maxime neque a vitae consuetudine aliena. Nihil adeo humanius est risu, nihil magis in vita exoptatum, nihil a fera bestia alienius. Itaque Comicus, qui ridere nos aliquando effuse voluerit, vix ac ne vix quidem carere quadam humilitate potest. Praeterea omnes, ut opinor, comoediae, certe Graecorum, semper in praesentia rerum versantur, nunquam fere in praeteritis neque in futuris. Atqui praesentia, quae oculis usurpare solemus, non sola veneratione quasi e longinquo videmus, semper nobis etiam minus, quam patitur veritas, habere dignitatis videntur. Satis ostensum est, rideri prae caeteris humilem personam, ineptam, deformem atque adeo turpiculam; nunc ad eorum exempla, qui potissimum rideant quive abstineant risu, veniamus. Philosophi igitur, homines gravissimi, ut Cato, ut Seneca, rem severam esse verum gaudium composito vultu decernunt; theologi neque in literis suis valde amant facetias, et in concione ad popu-

lum habenda magnam gravitatem suscipiunt. Contra diu ac multum rident mulieres et pueri, ridet etiam vulgus virorum, et ut quisque omni vacuus cura cum innocentia voluptatem maxime amplectitur. Jam vero comoediae non id unice propositum esse, ut alios delectet, facile est ad demonstrandum. Primum enim gravitate demta hoc etiam consilio excideret, et in contrarium vitium usque eo incurreret, ut doctus spectator ineptis jocis saepe irascere-tur, indoctus autem perpetuo risu enectus cito nausearet. Et credemus, hoc in genere nihil aliud, quam hilaritatem quaeri et risum, qui est vel tenuissimus ingenii fructus, quum praesertim totius antiquitatis Comici suo exemplo doceant, magnas res sese mente complexos, saepenumero etiam assequutos esse? At, inquit, res comica duplici nomine, quod et poësis est et comoedia, animum nostrum oblectat. Verum enim, ne artes dicam, ut picturam, omnia poëseos genera ita ad sensus referuntur atque oblectant, ut nunquam tamen longe majus consilium non sequantur mentis animique excolendi. Quoniam autem homo liberalis nulla alia re magis delectari potest, quam doctrina mentis animique emendatione, comoedia, nisi hoc unum omnium maxime spectaret, tantopere nos delectare profecto non pos-set. Ac mittamus comoediam, ridiculum ipsum videamus: quis igitur ne-gabit, magna interdum mente opus esse ad commovendum jecum, haud ex-igua etiam ad percipiendum, nosque ipsos et inveniundo eo laetari solere et invento, alios autem non modo risum juvare, verum etiam cum voluptate eos praeclara dicta intelligere et puncto temporis agnoscere? Sed ne quis forte nesciat, quantum inter poëtam comicum et sannionem nescio quem intersit, magni viri omnes aut multum jocantur, aut certe joci possunt, estque certissimum eximiae mentis indicium, facetiis atque ingenio valere, neque nos tam laudare bona dicta solemus, quam admirari, praesertim si multum habuerint gravitatis. Scilicet, ut paucis absolvam, comoedia specie ludentis veritatem studet exquirere. Jam vero omnes boni per totam vitam in eo elaborant, ut veritatem ipsam, non umbram ejus in lucem proferre sibi liceat. Et hos quidem comoedia leniter tantum castigat, quod quum recta sequantur, non videant tamen, veritatem non sane in profundo latere abdi-tam, sed in propatulo expositam omnibus patere. At vero omni tempore multi vixerunt, qui vel propter imbecillitatem veri inveniendi spem plane abjecissent, vel ob magnam levitatem in diem vivere, quam verum inda-gare mallent, vel ob mirum quendam stuporem veri quidquam percipere, nisi ab aliis moniti non possent, vel denique insita animi malitia pro veri-tate adeo mendacium appeterent. Quos quidem homines quum omni ope ad bonam frugem reducere comoedia studeat, atque eadem tamen cum su-perbia, levitate, stultitia rem sibi esse intelligat, callidissime vero consilio dissimulato prae se ferre ridiculum solet, condit omnia facetiis sui commen-dandi ergo, itaque vulgo hominum facile persuadet, joci ipsius causa non-nihil admisceri etiam severitatis. Sic enim se res habet: influunt nescio

quo pacto in animos ac sensus nostros res quantumvis severae, si jocis permixtae vix sentienti inculcantur. Plurimum adeo Comici facetiis, cui omnia paene licent, vel dici potest vel effici, quod sola gravitate nemo unquam assequetur. Ut medici utilitatis causa, non fraude vel acerbissimam herbam aliqua saporis dulcetudine leniunt, ita Comici suos aegrotos ridiculis perfundunt, quo certius et mentem excolant atque persanent, et moribus salutarem medicinam afferant. Verum si comica ars nudam amat veritatem atque mendacium magnopere odit, quis eam non intelligit in magna quadam severitate gravitateque versari, aut quis jure miretur, nihil in vita humana tam sublime inveniri, quod a Comico recte tractatum non splendere videatur? Sed quum duplex sit veritas, altera in intelligendo, in agendo altera maxime posita: comoedia hanc utramque ambitu suo complexa, primum quidnam ipsa praestare queat, tum qua ratione populo consulendum sit, cui prope uni vult inservitum, etiam atque etiam considerat. Itaque aurea quadam mediocritate se ostendit contentam, tantumque abest, ut aut summam mentem aut virtutem omnibus numeris expletam concupiscat, ut nihil aliud, quam stuporem sese ac vitium impugnare profiteatur. Probe enim perspexerat, multum vel ab eo profici, qui neque summa rerum atque omnibus certo profutura nesciat, et virtutis colendae causa inane vitium effugerit. Quae quum ita sint, comicus a philosopho aut a morum praeceptore non tam consilio distat, quam verbis atque sententiis. Quum enim utrique et docere alios velint et emendare, comicus tamen a viro liberali non omnia sui commodi causa fieri ostendit exemplis, philosophus autem bona per se et propter se expetenda esse argumentis demonstrat; porro idem comicus homines et avaros et inepte prodigos castigat, at doctus iste magister quid sit avaritia, quid effusio, quid denique parsimonia, quam potest subtilissime definit eaque cura toto animo occupatus est. Ac nescio, an naturam finemque comoediae paucis verbis describere liceat Horatii: *quantquam ridentem dicere verum quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa velint ut discere prima*. Namque justa comoedia risum nec semper neque unquam sine iudicio extorquebit; non corrumpet mores, sed emendabit, nec temere nugabitur, sed cum delectatione docebit. Magna ergo gratia comoediae habenda est, primum ob externam ejus speciem, qua delectat, tum quod utile dulci miscendo docet eadem, emendat atque in summa gravitate versatur.

Comparete nunc comoediam hodiernam, neque unam aut item alteram spectate, sed genus universum, neque vero pauca quaedam vitia, sed rei summam argumentumque totum vosmetipsi reputate. Quae primum nihil paene homines docet, nisi forte unicam istam artem amandi, cujus tamen ipsius meliorem Ovidio auctorem nemo requireret, nec porro ea mores emendat, nisi quis tamen corrigetur non aperte loquendo, sed maligne sensus titillando, denique in eo peccat gravissime, quod delectare tantummodo

spectatores cupit. Quocirca neque quid sit ridiculum, neque quid comoedia ipsa, exploratum habet, sed a fine ejus atque natura longissime aberrat. Nihil adeo levius est novitia ejusmodi comoedia, si modo ementitam rem, quae nihil veritatem curat, comoediam appellari fas est, nihil, mihi credite, odiosius. Ac ne quis forte miretur, nostrae aetatis comicos a me potissimum tam gravi judicio affligi, aut omnino eorum opera a nobis examinari, quod alia quaedam in nobis facultas sit, neque ista tam sollicita comoediarum inquisitio: nihil equidem mihi assumo neque arrogo, sed optimas quasque fabulas et ludorum tempore spectasse videor et apud me domi evolvisse atque perlegisse certo scio: in quo plus molestiae devoravi, quam quisquam existimabit, utilitatis autem aliquanto minus cepi et mea opinione et ipsorum haud dubie Comitorum.

INDEX LECTIONUM.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS, P. P. O.,
 1) *privatim* quinis diebus h. VIII — IX. *historiam dogmatum* tradet;
 2) *privatim* senis dd. h. IX — X. *theologiam dogmaticam* docebit.
Publice in Seminarii sodalitia quaternis diebus h. II — III. *paedagogicen* praeibit, et sodalium *homileticas* et *catecheticas exercitationes* moderabitur.

D. IOANNES PHILIPPUS BAUERMEISTER, P. P. O.,
 h. t. Rector, 1) quinis dd. hor. VII — VIII. *dogmatica praecipuarum ecclesiae christianae partium systemata* inter se comparabit; 2) senis dd. hor. VIII — IX. *scripta Joannea et Acta apostolorum* interpretabitur.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE, P. P. O.,
 I. *publice* binis dd. h. II. selecta loca prophetarum minorum explicabit; II. *privatim* senis dd. h. X. epistolas Pauli minores et epistolam ad Hebraeos interpretabitur; III. *privatim* binis dd. h. VII. orationem Jesu Christi montanam exponet.

D. OTTO CARSTEN KRABBE, P. P. O., 1) *privatim* senis dd. h. XI. *theologiam moralem* docebit; 2) quinis dd. h. IX. *alteram historiae ecclesiasticae partem* enarrabit.

D. HENRICUS HAEVERNICK, P. P. E., 1) *publice* Jesajae vaticinia selecta explicabit, *ternis dd. h. VII.*; 2) *privatim* isagogen in libros V. Ti canonicos et apocryphos tradet *quinis dd. h. VIII.*; 3) *privatim* evangelium Matthaei interpretabitur *quinis dd. h. X.*

Licent. JULIUS WIGGERS, P. P. E., I. publice: 1) coram omnium ordinum commilitonibus *historiam patriam ecclesiasticam* ratione habita politicae Megapoleos historiae enarrabit (duce libro suo: Kirchengeschichte Mecklenburgs. Parchim 1840. 8.) dd. Lunae, Mercurii et Veneris h. III., 2) *epistolam Jacobi* illustrabit dd. Martis et Jovis h. III.; II. privatim: 1) *evangelia Matthaei, Marci et Lucae* interpretabitur senis dd. h. X., 2) *introductionem in N. T. criticam et historicam* praeibit quater p. h. h. VII. mat., 3) *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet quater p. h. hh. posthac constituendis.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERDINANDUS KAEMMERER, P. P. O., docebit *Pandectas*, duce *Puchta* (Lehrbuch der Pandekten, Leipzig 1838. 8.) senis diebus, hor. XI — XII. et XII — I.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER, P. P. O., docebit 1) *Institutiones juris civilis*, textum Justiniani secuturus, ex editione Schraderi, in formâ minori, senis diebus, hor. XI — XII. 2) *Jus ecclesiasticum*, ex compendio Wiesii ed. *Kraut*, senis diebus, hor. III — IV.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER, P. P. O. Ordinis JCTorr. Decanus, docebit 1) *encyclopaediam juris*, ex compendio de *Locw* (Einleitung in das Studium der Rechtswissenschaft, Zürich, 1835) quaternis diebus, hor. IX — X. 2) *Jus publicum Megapolitanum*, ex schedis suis, senis diebus, hor. III — IV. 3) *Jus privatum Megapolitanum*, duce compendio de *Kamptz*, senis diebus, hor. IV — V. Praeterea scholas de *Pandectis* et de *Processu judiciario civili examinatorias*, uti huc usque, cum commilitonibus instituet, horis deinde constituendis.

D. FRIDERICUS RASPE, P. P. O., tradet *principia processus judiciarii civilis*, duce *Linde*, senis diebus, hor. XI et XII — I.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS, P. P. O., docebit 1) *Institutiones et historiam juris civilis*, duce compendio *Burchardii* (Geschichte und Institutionen des Römischen Rechts, Kiel 1834) senis diebus, hor. IV — V. 2) *Jus ecclesiasticum*, ex schedis suis, et *juris Megapolitani* rationem habiturus, senis diebus, hor. III — IV. 3) *Philosophiam juris*, Germanicarum rerum status ratione habenda, quaternis diebus h. X.

D. GEORGIUS BESELER, P. P. O., proponet 1) *jus Germanicum privatum*, juncto jure feudali, mercatorio, cambiali et maritimo, secundum *Krautii* librum (Grundriß zu Vorlesungen über das deutsche Privat-Recht) quater per hebdom., hor. IV — VI. et bis hor. V — VI. 2) disseret de *jure hypothecario secundum leges Megapolitanas*, binis diebus, hor. IV — V.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE
 1) *Gaji institutiones* interpretabitur, adhibitis Institutionibus Justiniani et fragmentis Ulpiani; 2) horis deinde constituendis quater per hebdom. *collegium civile practicum* habebit. Nec deerit *examinatoria et repetitoria* cupientibus, cum de jure universo, tum de singulis ejus partibus.

IN FACULTATE MEDICA.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus, tradet *Artem obstetriciam*, hor. IX — X.

D. HENRICUS SPITTA, P. P. O., docebit quaternis hebdom. diebus: 1) *Pathologiam et Therapiam specialem* et 2) *Medicinam forensem*; nec non 3) *Casuisticum medico-practicum* moderabitur binis hebdom. diebus.

D. CAROLUS STREMPPEL, P. P. O., docebit 1) d. Lun., Mart., Jov. et Ven. hor. III — IV. *artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* in cadaveribus illustrandam et 2) *exercitationes practicas* in nosocomio urbico et in clinico medico chirurgico quinquies per hebdom. hor. VIII — X. moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM, P. P. O., 1) hor. VIII — IX. in demonstrationibus anatomicis *Osteologiam, Syndesmologiam et Myologiam* quater per hebdomadem docebit, 2) hor. XI — XII. *oculorum morbos* quinquies per hebdomadem tradet, 3) *Cursum operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* cupientibus offert.

D. FRIDERICUS HERMANNUS STANNIUS, P. P. O., docebit: privatim 1) *Physiologiam generalem et specialem* quotidie hor. IV — V.; 2) *Anatomen comparatam*, quotidie hor. V — VI.

D. C. KRAUEL, P. P. E., *exercitationes practicas* in clinico obstetricio moderabitur h. X.

D. GEORGIUS FRIDERICUS MOST docebit: 1) *Materiam medicam*; 2) *Medicinam forensem*; 3) *Artis obstetriciae primam partem*. Ceterum offert repetitorias scholas medicas.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG offert 1) *Encyclopaediam et methodologiam art. med.*, 2) *Akiurgiam*, 3) *artem obstetriciam*, 4) *examinatoria et repetitoria*.

D. CAROLUS HANMANN *gratis* 1) *Formulare* duce *Sundelinio* (ed. 2.), *privatim* 2) *chirurgiam* duce *Chelio* (ed. 5.) et *ophthalmiatriam* duce *Beckio* (ed. 2.), 3) *otitriam* ex schedis suis docebit. *Privatissime* repetitorium medicæ-chirurgicæ offert, neque iis deerit, qui operationibus ophthalmiatricis institui voluerint.

D. JOANNES SCHROEDER tradet 1) *Pathologiam* et *Therapiam generalem*, 2) *Medicinam forensem*, 3) *Pathologiam* et *Therapiam morborum psychicorum*, et 4) *gratis de morbis syphiliticis* disseret; 4) *Examinatoria* et *repetitoria* de quavis artis medicæ parte cupientibus offert.

D. LUDOVICUS DRAGENDORFF 1) *de arte obstetricia* et *de gravissimis gravidarum, puerperarum et neonatorum morbis* disseret; 2) *artem operationum obstetriciarum* docebit; 3) *Examinatoria* et *repetitoria* cupientibus offert.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

D. ERN. AUG. PHIL. MAHN, P. P. O., h. t. Decanus, publice 1) *Psalms selectos, maxime Messianos*, interpretabitur quaternis diebus h. XI.; 2) *Elementa linguae Arabicae* docebit ternis diebus h. II.; 3) *Exercitationes Ebraicas* moderabitur ternis diebus h. III.

D. FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE, P. P. O., publice 1) *binis diebus h. XI. Aristophanis Aves* interpretabitur; 2) quaternis diebus h. XI. sive III. *Ciceronis de officiis* libros tres explicabit; 3) quaternis diebus h. II. *Antiquitates Romanas* pertractabit. Praeterea Seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo *Hippolytus* potissimum *Euripidis* et *Andria Terentii* tractabuntur.

D. JOANNES ROEPER, P. P. O., publice 1) docebit *Microscopiis tam simplicibus quam compositis uti*, die Saturni h. X–XII.; 2) *privatim* quinis diebus h. VII. *botanicen generalem* exponet, demonstrationibus illustrandam; 3) *binis diebus h. XII. elementa physiologiae plantarum* docebit; 4) *Itinera botanica* instituet die Saturni, horis potissimum pomeridianis.

D. E. D. H. BECKER, P. P. O., docebit 1) *Culturam plantarum agrestium*, quaternis diebus h. X.; 2) *Agros meliendi, partiendi formasque delineandi doctrinam*, adjungendis exercitationibus practicis, sexies p. h. h. III.

D. LUDOVICUS BACHMANN, P. P. O., 1) publice *binis diebus h. III. hymnos Homericos* interpretabitur; 2) *privatim* *binis diebus h. III. Horatii Epodon* librum explicabit; 3) *privatissime* quaternis diebus horis constituendis *Archaeologiam*, et *binis diebus Topographiam veteris Italiae* tractabit.

D. HELMUTH DE BLUECHER, P. P. O., privatim docebit: 1) *Chemiam experimentalem* octies p. h. h. X. et XI.; 2) *Chemiam practicam* ter p. h. h. III — V.

D. H. KARSTEN, P. P. O., docebit: 1) publice *trigonometriam* bis p. h. h. VIII.; 2) privatim *Calculus differentialem et integralem*, quater p. h. h. XI.; *Mineralogiam*, quater p. h. h. VIII. Privatissima denique proponit collegia in quavis matheseos et physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. CAROLUS TÜRK, P. P. O., publice 1) *Taciti Germaniam* commentabitur, bis p. h. h. II.; 2) *Conversatorium historicum* habebit de Germania, Hispania et America foederata, bis p. h. h. II. Privatim 3) tradet *historiam medii aevi*, sexies p. h. h. VIII.; 4) *historiam populi Germanici*, quinquies p. h. h. IX.

D. CHRISTIANUS WILBRANDT, P. P. O., 1) privatim senis diebus h. V. *Aestheticen* seu *Philosophiam artis* docebit; 2) diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV. de *Graecorum arte dramatica* publice disseret; 3) Exercitationes seminarii philosophico-aesthetici moderari perget horis constituendis.

D. FRIDERICUS FRANCKE, P. P. E., 1) publice quinis dd. h. III. *Historiam philosophiae* enarrabit; 2) publice quaternis dd. h. VIII. *lineamenta philosophiae moralis* designabit; 3) privatim quinquies h. VII. *Logicam* et 4) privatim itidem quinquies h. IV. *Metaphysicam* s. *philosophiam veri, boni ac pulcri* docebit.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH, P. P. E., publice binis diebus h. III — IV. *Taciti Agricola* interpretabitur. Privatim 1) quaternis diebus h. III — IV. de *syntaxi Graeca* disseret; 2) quaternis diebus h. IV — V. *historiam literarum Latinarum* tractabit. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. EDUARDUS SCHMIDT, P. P. E., publice *initia philosophiae moralis, introductionem simul in theologiam moralem*, bis p. h.; privatim 1) *psychologiam*, quinquies p. h.; 2) *philosophiam historiae*, quinquies p. h. tradet. Privatissime solitas de rebus ad *philosophiam religionis* pertinentibus disputationes moderabitur, bis p. h.

D. CAROLUS WEINHOLTZ privatim 1) *Introductionem in philosophiam* ex conspectu suo tradet; *Anthropologiam psychicam* docebit.

Bibliotheca patebit quaternis diebus h. XII — I, excepto die feriato, Solis et tempore ad recensionem librorum necessario, tum quovis Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI — I, feriis ipsis tantummodo h. XII — I; **Museum** vero die Lunae h. II — IV Commilitonibus nostris aliisque aperiatur. Conferatur §. 1. legum de usu Bibliothecae nostrae recens scriptarum. *Gallicam, Anglicam, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit.* Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equilandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam* doceant. *Rei herbariae studiosis, quum apud prae-fectum nomina professi fuerint, quotidie aperiuntur horti Academiae herbarii.*

Domicilia commoda quaerentibus monstrabit J. H. Schulze, Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur
J. P. Bauermeister, Ph. et Th. D.
 Praesidet ordini Theologorum **C. F. A. Fritzsche, Ph.**
 et Th. D. — Jurisconsultorum **A. L. Diemer, Ph. et**
 J. U. D. — Medicorum **J. G. Josephi, M. D.** — Phi-
 losophorum **E. A. P. Mahn, Ph. et Th. D.**